

Vg
237





Q. 188 a

40
J. Georg. Moebii



RECTOR

UNIVERSITATIS LIPSIENSIS

ad

ANNIVERSARIAM MEMO- RIAM REFORMATIONIS SALUTARIS,

ANNO XVII. SUPERIORIS SECVLI,

XXXI. Octobris, in Vigilia omnium Sanctorum

à

B. LUTHERO

feliciter susceptæ,

In Templo Paulino,

crastino die recolendam

Utriusque Reipubl. Proceres, &

Cives Academicos

humaniter, & officiosè invitat.



*De præcipuis verbis divini in Germania
apostolis præf. in Saxonia Thuringia
et Misn.*





Verbum Dei omnibus hominibus tam in Veteri, quam N. Testamento fuisse annunciatum, ex Scriptura S. satis constat. In V. quidem vocatio universalis facta fuit partim ante diluuium per *Adamum*, partim post per *Noachum*. Adamum liberos suos in sua domo de vero Dei cultu bene instruisse, nullum est dubium. Illum quoque hanc pietatem continuasse, quando ipsius familia fuit aucta, quis dubitaret? Accedit & hoc, quod ad seram pervenerit ætatem. Vixit enim annos nongentos & triginta *Gen. V, s.* Noah quoque cum diem suum obiret, natus erat annos nongentos quinquaginta *Gen. X, 28.* Verisimile itaque omnino est, quod sancti isti viri filios, filiasque imo & posteros, quocumque locorum habitaverunt, fideliter in verbo Dei instruxerint, & ad veram Ecclesiam vocarint. Si enim quadraginta aut quinquaginta tantum annos *Adamus* aut *Noachus* vixissent, non adeo multi per ipsos ad Regnum Dei vocari potuissent: postquam autem tot numerarunt annos, & ad tam longævam traducti fuere senectutem, extra omnem dubitationis aleam ponendum est, quin ex innato paterno affectu posteros suos fideliter ad justitiam erudierint, & ab impietate revocaverint. Et quanquam multi postmodum degenerarunt, & idololatriæ se addixerunt, attamen minimè se excusare poterunt, quasi de verbo divino nihil unquam audiverint. Recte ergo *D. Franzius* Tract. de Interpr. Scripturæ S. Orac. XII. p. 196: *Vivacissimi fuere Patriarchæ, qui nepotibus, pronepotibusque & reliquis in decimam & vicesimam & centesimam & millesimam ferme generationem de via salutis præcepta vivâ voce vel ore ad os procurarunt sufficientia, ne, quos in hac vita nominis & bonorum*

rum heredes futuros viderent, in altera circa culpam suam gehenna ad-
dictos conspiciere necessum haberent. Deinde qui etiam longius, imò lon-
gissimè ab Adami templo seu ara circa Hierosolymæ tractum (quod ali-
bi evici) constituti aberant, tamen adminicula & opportunitate ut multa,
ita evidentissima habuerunt de cognoscenda, accipienda & tractanda ve-
ra fide. Multis quoque exemplis & testimoniis Ethnicorum lau-
datus D. Franzius ibidem probat, verum Dei cultum ipsis non
fuisse ignotum. Falsum ergo est, quod scribit *Wendelinus* in
Collat. Doctrinæ Reformator. cum Lutheran. p. 241. Manda-
tum de pœnitentia, & remissione peccatorum per omnes gentes præ-
dicanda, post natum Christum demum fuisse datum. Nam
(1) ad pœnitentiam gentes passim adhortati fuere Prophetæ.
Sic *Esaias* prophetavit intra terram Canaan adversus *Assyrios*,
Babylonios, *Persas*, *Medos*, cap. XIII. adversus *Ethiopes* cap. XVIII.
adversus *Gomer* seu *Cymbros* vel *Scythas*, adversus *Mesech*
seu *Meschin*, vel *Iberos* eodem cap. Ut nihil jam dicamus de
aliis Prophetis. (2.) Israelitæ subinde etiam Gentes publicè in-
vitarunt ad agnitionem verbi Dei, *Psalms*. CXVII, 29. *Psalms*.
XCVIII, &c.

In N. quoque Testamento verbum Dei omnibus fuisse
prædicatum, ex scriptura est manifestum. Nam Salvator dis-
cipulis suis mandavit, ut irent in mundum universum, & *Evangelium*
annunciarent omnibus gentibus *Matth.* XXVIII, 19. Apostolos
verò Magistri sui mandatum fideliter observasse, ipsimet ut
testes omni exceptione majores testantur. Hinc *Apostolus*
Col. I, 23. asserit, *Evangelium* annunciatum esse omni creaturæ sub
cælo; & ipsorum sonum exivisse in omnem terram *Rom.* X, 18. 19.
Quis nunc tam temerarius esset, ut *Apostolorum* assertioni
fidem denegaret?

Quod autem per omnem creaturam in adducto loco *Col.* I, 23.
omnes homines in mundo intelligantur, probamus (1.) inde,
quia omnis ista creatura alibi in scriptura S. exæqvatur nume-
ro *Redemptorum* per sanguinem Christi. Et quamvis *Calviniani* ne-
gant, redemptionis pretium ad omnes pertinere homines, ne-

gant tamen hoc contra expressam scripturæ literam. Sic enim
2. Cor. V, 19: *Deus erat in Christo, mundum sibi reconcilians*, 1. Tim.
II, 2. *Dedit se redemptionis pretium pro omnibus*. 1. Joh. II, 2: *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, nec pro nostris solum, sed etiam pro totius mundi peccatis*. Si ergo ad omnes pretium redemptionis pertinet, tunc omnibus quoque debuit annunciari. Annunciatio enim est ordinarium illud medium, per quod homines effectum illum consequuntur. (2) Patet hoc etiam inde, quod numerus vocatorum exæquetur cum numero judicandorum in die extremo, uti clarè hoc insinuat Scriptura. Sic enim Act. XVII, 31: *Deus mandat omnibus ubique hominibus, ut respiciant, eò, quod statuit diem in quo justè judicaturus est orbem terrarum per eum virum, quem definiit, fide ejus rei palàm facta omnibus, illò ex mortuis resuscitatò*. Si ergo omnes & singuli homines in die novissimo sunt judicandi, tunc necessariò sequitur, omnibus etiam annunciatum fuisse Dei verbum. Causa enim damnationis erit, quod non crediderunt, Joh. III, 18. *Quomodo autem credere potuerunt absq; predicante*. Rom. X, 14? Si quis miretur, quomodo Apostoli tot regiones & provincias in toto terrarum orbe peragrarè potuerint, illi respondemus, quod haud necessum fuerit, ut omnes universi orbis angulos perreptaverint. Nam Apostoli annunciarunt Evangelium non solum vivâ voce, sed etiam scriptis, inde notanter Scriptura ait, quod *sonus ipsorum exiit in omnem terram* Rom. X, 18. Rectè proinde D. Gerhard. part. 2. Harmon. Evang. cap. CLX. p. 424. *Quò non pervenit pes Apostolorum, eò tamen pervenit sonus ipsorum & fama doctrinæ Evangelicæ*. Dubium apud multos exoritur, an etiam pervenerint in Americam, sive Indiam occidentalem, cum ante ducentos annos nondum fuerit detecta, quia hoc factum fuit per *Christophorum Columbum* anno demum 1492? Scrupulum hunc nobis exemit Collega noster honorandus, Dn. D. Georgius Mæbius, Th. Prof. Primarius in Dissert. peculiari, de quæstione illa, *an Apostoli etiam pervenerint in Americam?* ubi pag. 122. seqq. latè probat, non tantum Indiam Orientalem, sed etiam Occidentalem

lem illos ingressos fuisse. Dissertatio hæc annexa est ejus *Tra-*
ctatui de Oraculis Ethnicis. Miramur ergò, quod multi statuunt,
Apostolos, etsi in plurimis regnis imò ubiq; verbum Dei præ-
dicaverint, attamen in Germaniam nostram haud pervenisse!
Sic Dn. D. *Tibias Wagner*, Instit. histor. lib. VII. p. 586. scribit,
Thuringos & Hassos anno demum post Christum 740. ver-
bum divinum audivisse, & conversos fuisse *L. Zacharias*
Schneider, quondam P. P. in hac Academia in Chronico suo
Lips. p. 143. hanc quoque sententiam tuetur, & asserit anno
demum septingentesimo post natum Christum hominibus
Evangelium in hisce regionibus fuisse annunciatum. Idem
sentit *Joh. Henr. Ursinus*. Hic in Tract. de origine Ecclesiarum
German. lib. II. cap. 1. p. 19. verbis conceptis negat, Apostolos
pervenisse in Germaniam magnam. Proponit ibi hanc quæ-
stionem: *An in ipsa Germania magna actu prædicatum fuerit Evan-*
gelium? Ad hanc ita respondet: *Nullò teste constat, nec pauca svadent*
contrarium. Fuit ea tunc temporis adhuc & diu postea Romanis inco-
gnita ipsis, novusq; & incognitus orbis dicebatur, Pontanus l. c. cap. 1.
Ipsa in formis & tristis cultu aspectuq;, Tacito teste, populisq; nullæ urbes,
nec junctæ sedes, sparsim habitantibus Nomadum ritu: hinc perpetui mo-
tus, ut unda trudit undam, noviq; semper inq; vilini, advenis aliis, aliisq;
sibi succedentibus, quos ex iis regionibus in hanc immigrasse, in quibus
semina Evangelii sparsa fuerunt, licet animo fero & indocili spreta, ne-
mo negaverit. Nimirum contendit, iis tantum Germanis Evan-
gelium innotuisse, qui Romano Imperio fuere subjecti, &
è vicinia imminuerunt, in Germania verò magnâ habitanti-
bus, Evangelium actu haud fuisse prædicatum. Sed hæc sen-
tentia nostrum minimè meretur calculum. *Obstat enim (1.)*
Christi erga Apostolos de prædicando Evangelio omni cre-
aturæ mandatum. *(2.) Obstat* Apostolorum assertio, quia cla-
râ voce asserunt, se Evangelium annunciasse omni creaturæ
sub cælo, *Col. I, 23.* Hyperbolen verò in his verbis occurre-
re, quod nonnulli volunt, & imprimis *D. Joh. Qvistorpius* in
Annotat. Biblicis ad cap. I. *Col. p. 348.* probare non possumus;

cum nulla necessitas urgeat, ut à clara litera hîc secedamus. (3)
Tacemus, multos esse Patres, & Doctores Ecclesiasticos, qui
hanc confirmant sententiam. Hinc *Justinus*, qui inter Patres
ferè vetustissimus est, & floruit anno Christi 130. in Dial cum
Tryphone, ita scribit: *Nullus in terra populus est, cui non Christi no-*
men innotuit. Idem scribit *Irenæus*, qui vixit circa annum Chri-
sti 160. *Ecclesia*, inquit, *per univversum orbem usque ad fines terræ se-*
minata est. In primis *Tertullianus*, scriptor Ecclesiæ primitivæ
gravissimus, hujus rei luculentus est testis. Viguit circa an-
num Christi 200, cujus verba lib. adversus Judæos cap. 4. p. 140.
sunt hæc: *Crediderunt Christo Getulorum varietates, & Maurorum*
multi fines, Hispanorum omnes termini, & Galliarum diversæ nationes,
& Britannorum inaccessa Romanis loca, & Sarmatarum, & Dacorum
& Germanorum, & Scytharum, & abditarum multarum gentium, &
provinciarum, & Insularum multarum, nobis ignotarum, & quas enu-
merare non possumus. Similia habet *Chrysostomus* Hom. LXXVI.
in Matth. & addit ibidem, quod viginti annis, aut ad summum
30. ad omnes orbis oras *Evangelium* transcurrerit. Dilucidè etiam
hoc monstrant *Centuriatores Magdeburgenses*, quando Centur. I.
lib. 2. cap. 2. p. 23 ita scribunt: *In quibusdam historiis sanctorum legi-*
tur, Crescentem Moguntia, Clementem Meti, Trophimum Arelati
Evangelium Christi tradidisse. *Vitæ Tungrensium Episcoporum* testan-
tur, *Maternum, Eucherium & Valerium à Petro missos esse, ut Treve-*
ris & Colonia docerent, Petrum in Germaniam misisse Egistum, unum de
LXX Christi Discipulis, qui in Bardewick, qui ad fluvium Elmenau,
non procul ab eo loco, ubi nunc Luneburga sita est, una cum Mariano
docuerit, & quod ibi Martyrii coronâ sint decorati, Henricus de Exphor-
tia refert. Confer hic etiam Centur. II. Magd. p. 5. ubi ita conclu-
dunt: *certum est, Evangelium ad Germanos non tam serò advenisse, ut*
recentiores quidam Scriptores censuerunt. Vide etiam D. *Osiandr.*
Cent. II. Histor. Eccl. p. 2.

Quæ in contrarium à *Joh. Henr. Ursino* disputantur, facile
solvuntur. Dicit (1.) non esse quidem negandum, Germanis in-
notuisse *Evangelii prædicationem, sed partim Romano Imperio ad Rhe-*
num

num & Danubium subiectis, partim è vicinia imminentibus &c. Inficitur autem, in ipsa Germania magna actu prædicatum fuisse Evangelium, quia (i.) tunc temporis adhuc & diu postea Romanis incognita, novusq; & ignotus orbis dictus fuerit, teste Pontano. Sed hæc veritati injuriam faciunt. Falsum enim est, Germaniam magnam tunc temporis Romanis, & diu postea fuisse incognitam. Nam tempore Cæsaris Augusti Romani in Germania gravia gesserunt bella sub Druso, qui ab Imperatore Augusto magno cum exercitu contra Germanos fuit missus. Hic Drusus etiam, quia diu cum Germanis bella & prælia multa commiserat, appellatus fuit *Drusus Germanicus*. Jam verò tempore Augusti Cæsaris Christus fuit natus, post cujus ascensionem Apostoli exiverunt in mundum universum, ut Evangelium annunciarent omnibus gentibus. Quod verò eo tempore Romani in Germaniam interiorem irruerint, illaque ipsis non fuerit incognita, testantur ipsi Romani scriptores & historici. Sic enim *Florus* de rebus Romanorum lib. IV. cap. 12. p. 387: *Missus in eam provinciam (Germaniam) Drusus primus domuit Usipedes, inde Tenetheros percucurrit & Cattos. Nam Marcomannorum spoliis insignibus editum tumultum in trophæi modum excoluit: Inde validissimas nationes Cheruscos, Suevosq; & Sicambros pariter aggressus, qui XX. Centurionibus concrematis, hoc velut sacramentò sumserant bellum, adeò certâ victoriæ spe, ut prædam in antecessum partione dividerint, Cherusci equos, Svevi aurum & argentum, Sicambri captivos elegerint, sed omnia retrorsum. Victor namq; Drusus equos, pecora, torques eorum, ipsosq; prædâ divisit & vendidit. Præterea in tutelam provinciarum præsidia atq;ve custodias ubiq;ve disposuit, per Mosam flumen, per Albim, per Visurgim. Nam per Rheni quidem ripam quinquaginta amplius castella direxit, Bonnam & Gesoniam (alii legunt Moguntiam) cum pontibus junxit, classibusq;ve firmavit, invisum atq;ve inaccessum Hercynium saltum patefecit. Idem confirmat *Vellejus Paterculus* lib. II. Histor. p. 168. ubi Drusum magna ex parte domitorem Germaniæ appellat. Nec aliud refert *Tacitus*, lib. IV. Annal. cap. 44. §. 3. edition. Berneg. *L. Domitius*, inquit, flu-*

men

men Albim exercitu transcendit longius penetrata Germania, quam quisquam priorum. Haud dissentit Historicus & Geographus accuratissimus, Philippus Cluverius, qui lib. I. Antiq. Germaniæ cap. 13. p. 831. ita scribit: *Qui auspiciis Augusti Caesaris primi post Cæsares in Germaniæ fines transgressi sunt, arma bellaque ultra etiam Albim flumen protulerunt.* Mittimus plura adducere testimonia. Quæ omnia satis testantur, Germaniam magnam olim Romanis non fuisse incognitam, adeoque Apostolos omninò etiam in illam pervenisse. Neque huic sententiæ porrò obstat, quod veteres Germani nullas habuerint urbes, & ultra annum in uno haud substiterint loco. Nam qui per annum integrum in uno commoratur loco, satis informari potest.

Patet etiam exinde, falsum esse, quod nonnulli scribunt, Romanos in Germania nunquam Albim armis suis transiisse, quod audacter affirmant Petrus Albinus in Chronico Misnensi p. 296. Elias Schedius, de DIs German. Syngram. III. cap. 1. p. 492. aliique. Aliud hæc tenus monstravimus. Certa ergo est hæc sententia, Apostolos omninò in Germaniam pervenisse, & hominibus ibidem annunciasse Evangelium. Quamquam verò hoc sit certissimū, interim negare non possumus, Germanos nostros non adeò per longum temporis intervalum in agnita veritate, & vera Religione permansisse, sed post seculum unum & alterum pedetentim Christianismum deseruisse, & ad pristinum cultum idololatricum rediisse.

Hic nunc quæritur, quoniam denuò Germanos ad veram perduxerit fidem? Pontificii hoc ascribunt Bonifacio, quem propterea etiam Germanorum Apostolum appellant, vide Bzovium lib. VII. Histor. Eccles. Col. 1577. Verum enim verò, quod hic Bonifacius potius seductor, quam verus Doctor fuerit, monstrant alii; vide in primis Centuriatores Magdeb. Cent. IIX. cap. X. p. 229. Idem asserit D. Oslander, Cent. VIII. Hist. Eccles. p. 48. ubi ita scribit: *Etsi autem in Germania sparsim, præsertim in Saxonia idola colebantur, tamen Bonifacius illas gentes non ad Christum convertit, Christianos autem, qui jam Christum agnoverant, ad pontificias superstitiones*

ficias supersticiosas Romanas ceremonias observandas traduxit. Id Pontificii vocant conversionem. Christianos autem longè antè ibidem fuisse constat. Idem etiam confirmat D. Pappus in Epit. Histor. Eccles. p. 225. ubi ita: Quæ de Bonifacio Moguntino afferuntur, falsa sunt omnia. Fuit enim hic ad mortem usque servile mancipium Pontificum Romanorum & crudelissimus Christianorum persecutor, non modo Germanos non convertit, sed etiam eos ad superstitiones Papisticas minis & vi adduxit. Christianos ergo longè antè ibidem fuisse, monstrat etiam laudatus Ursinus l. c. p. 90. ubi in hæc erumpit verba: Bonifacius ex Bojeancea venit in Thuringiam, & in eajam ab anno Domini 525, atque sic annis abhinc ducentis plantatas fuisse Ecclesias, agnoscit ipse Serarius, imo ipse Gregorius II. Romanus Pontifex, in Epistola ad Thuringiæ quosdam Proceres, eorum in fide constantiam deprædicat, quod Paganis ad idola colenda impellentibus, fide plena responserunt, malle se feliciter mori, quàm fidem in Christum semel acceptam aliquatenus violare, ut Othlonus cap. XXIV.

Veritati itaque omninò consentaneum est, haud Bonifacium, sed Carolum M. non tantùm Saxones, sed & populos in Thuringia & Misnia ad verum Dei cultum iterum perduxisse. Nam Martisburgi plantavit Ecclesiam, & monasterium ibidem pro Canonicis regularibus erexit; vid. Brotusium in Chron. Martisb. lib. I. c. 5. p. 457. Postmodum devictis Saxonibus, cum quibus per longum temporis tractum, ac, uti nonnulli volunt, per XXX. annos bellum gessit, religionem veram in ipsorum provinciis instituit, & latè propagavit. Scribunt nonnulli, quod decem Episcopatus variis in locis fundaverit. De his ita laudatus D. Pappus c. l. p. 230: Commemorantur in Saxonica historia X. Episcopatus à Carolo M. instituti, primus ultra Visurgim, occidentem versus, Osnabrugensis, cui collegium adjunctum erat, multis insignibus privilegiis ornatum, in quo Græcæ & Latine literæ docerentur, ut nunquam deessent harum linguarum periti, tum ad defensionem dogmatum Ecclesiæ, tum ad obeundas legationes imperii causa ad Imperatores Orientis. Circa Visurgim autem in alio oppido Selingenstat secundus Episcopatus institutus erat, translatus inde primò Osterwicum, deinde Halberstadium. Tertius Episcopatus est Paderbor-

B

nensi

nensis: Quartus circa annum Domini DCCCIX Mimingeroensis, qui hodie Monasteriensis appellatur. Quintus Hildeshemiensis. Sextus Bardewicensis, qui hodie Verdensis est. Annotat autem Cranzius initio Metropoleos suæ, quod Bardewici, quæ urbs Saxonie olim celeberrima fuit, aliquot annis ipsâ Româ antiquior sit, & postremò deleta ab Henrico Leone &c. Septimus Episcopatus Mindensis, ante proximum, Anno D.CCLXXV, & octavus Bremensis, triennio post institutus; Nonus Schirensis, qui Magdeburgum postea translatus est, ubi olim Veneris simulacrum cum tribus Gratiis cultum fuisse, indeque nomen urbis esse dicitur. Decimus commemoratur Episcopatus Hamburgensis, circa annum Domini DCCXCVII.

Neque Saxonia tantum Caroli M. virtute ad verum Christianismum fuit perducta, sed etiam Holsatia, Dithmarsia, Hungaria, Carii, Sclavi, aliique plures populi in Germania, ut illum verè appellaveris Germaniæ, aliorumque populorum, Apostolum. Cæterum ab initio instituebantur Episcopatus, non ut Episcopi Principum secularium instar imperarent, & curam religionis ac Ecclesiarum vicariis quibusdam, quos inepto vocabulo Suffraganeos nunc appellant, committerent, sed prima & præcipua eorum cura hæc esse debebat, ut Ecclesiæ inspectioni eorum subiectæ idoneos ministros haberent, qui & possent docere Evangelium, & vitam viverent Evangelio dignam.

Sic itaque à Carolo M. plurimi populi in Germania & adjacentibus Regnis ad Christum fuere reducti. Quia verò diabolus tanquam abjuratus humani generis hostis omnem lapidem solet movere, quò hominibus ad Christum perductis, lux Evangelii per horrenda ipsorum peccata, ad quæ illos instigat, vel planè subducatur, vel variis falsis traditionibus & dogmatibus obscuretur; hinc iterum successu temporis posthanc tot hominum conversionem occupatissimus fuit, ut hoc propositum suum in effectum deduceret. Ea de causa varii falsidotores à Papa fuere emissi, qui lucem Evangelii illis obscurarent, & vera fidei dogmata falsis additamentis incrustarent. Exemplum manifestum habemus in paulò antè allegato Bonifacio, qui

qvi à Papa fuit ablegatus, ut homines in vera Christiana Religionè informatos, ad Papisticas traduceret abominationes. Jam verò tempore Caroli M. qvi orthodoxæ doctrinæ propagator erat fidelissimus, Papatus simul hinc inde irrepsit, & haud exiguos fecit progressus. Nam sub Phoca Cæsaricida, circa annum Christi 612. radices agere cepit, sub Carolo verò M. qvi ab initio nihil tale cogitans, tandem tamen hoc non obscure observavit, augmenta acquisivit. Laudatus ergò Carolus M. lapsu temporis multos fidei articulos corruptos esse, & reformationem desiderare deprehendit, sicut expressè hoc testatur *Aventinus* lib. IV. *Annal. Bojorum* p. 368. Imò multi alii post mortem Caroli sæpe optarunt, ut reformatio in Ecclesia institueretur. An. Christi 880 imperavit *Carolomannus* Rex Bojorum. De hoc scribit laudatus *Aventinus* lib. 3. *Annal. Bojorum* p. 292, quod sæpius reformationem in Ecclesia optaverit, & cum Statibus Regni de hac re deliberarit. Verba ipsius apud citatum *Aventinum* sunt hæc: *Convocavi, ut mihi consulant, quo pacto justitia & Christiana devotio instauretur, quæ negligentia & ignavia superiorum Principum labefactata, collapsa, terris depulsa corruit, quâ denique industria populus Christi à falsis & pravis sacerdotibus hætenus deceptus, & per anfractus confragosos & devios seductus ad veritatis semitam reducatur.* Easdem querelas ingeminarunt plurimi pii, de quibus vide *Wolffium* Tom. 2. *Memorab.* p. 12. seqq. & *D. Gerhard.* Tom. 1. *Confess. Cathol.* p. 95. seqq. Imò Electores, Principes & Status Evangelici *Schmalcaldiæ* A. 1537. congregati, Oratori & Vice Cancellario Cæsareo, *Matthiæ Heldio*, inter alia responderunt, multos præstantes, pios & eruditos viros jam inde à temporibus antiquis de abominationibus & abusibus Pontificiis fuisse conqvestos, apud *Hortlederum* lib. 1. cap. 26. p. 101.

Horum suspiria & gemitus Deus misericordissimus tandem exaudivit, mittendo electum suum organum, *B. D. Lutherum*, qvi anno sup. sec. XVII. in vigilia omnium Sanctorum, postquam detestandas Papæ abominationes diutius tolerare non poterat, spiritu Dei armatus publicè prodiit, & *Wittebergæ*

theses

theses contra indulgentias Tezelii, qui easdem tunc temporis in hisce regionibus pro pecunia magna venditabat, proposuit, in quibus istam papalem nundinationem masculè profligavit & prostravit: successu autem temporis omnes abusus Papisticos & falsa dogmata ex Ecclesia ejecit, illamque ab ejusmodi horrendis sordibus purgavit. Magnum hoc fuit beneficium, quò Deus ter. O. M. has & plures alias provincias & regiones beavit, quod meritò grato debemus deprædicare animo. Quia in parte haud immeritò laudanda est pietas Potentissimi quondam Electoris Saxoniae JOHANNIS GEORGII II. gloriosissimæ recordationis, qui ea de causa per omnes suas provincias festum Eucharisticum instituit, & mandavit, ut omnes subditi hanc summam gratiam agnoscerent, Deoque debitas persolverent grates. Vestigiis Paternis institit Filius & paternarum virtutum hæres gloriosissimus JOHANNES GEORGIUS III. Princeps ac Elector noster clementissimus, qui simili zelo indutus, festi hujus solennitatem omnibus suis subditis feriò commendavit. Quia igitur crastinus dies memoriam hujus festi nobis ad animum revocat, igitur & nos hoc immensum beneficium, quod per beatum *Lutherum* nobis præstitit, rite agnoscere, & linguas nostras in laudes Dei resolvere debemus. Ea de causa crastino die, finitis sacris matutinis, ex æde Nicolaitana templum Academicum ingrediamur, & ibidem Deum nostrum ob hanc summam præstitam gratiam devotè celebrabimus. Habebitibi eum in finem orationem elegantem in specie de *Repurgatione Lipsiæ nostræ ab abominationibus Papisticis*, Eximius atque doctissimus Dn. M. CAROLUS SAMUEL Senff, Stolpensis Misnicus. Agite ergo Proceres & Cives Academici, concurrite, nobiscum hoc templum frequentate, laudes & grates Deo nostro ibidem persolvite. Grata hæc erit Deo nostro victima, qui propterea nobis porrò aderit, & religionem nostram orthodoxam inter tot turbas & motus bellicos ac horrendas persecutiones defendet, & conservabit, id quod toto precamur pectore! P. P. d.

XXX. Octobris Anno. MDCLXXXVIII.

LIPSIÆ

Typis CHRISTOPHORI GUNTHERI.



e re-
pa-
au-
ecit,
fuit
gio-
par-
toris
onis,
ituit,
Deo-
ater-
IUS
s, festi
ia igi-
gitur
nobis
debe-
aitana
hanc
um in
ab ab-
LUS
ves A-
des &
ctima,
loxam
de-
l.

ULB Halle 3
004 969 545


f

V077





Q. 188 a

R
UNIVER
ANNIVE
RIAM R

ANNO XV
XXXI. O8


B. I

In

Utriusque

human

De praecipuis



SIS

MO-
NIS

LI,



*Conica Thuring
Misa*

